



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. I. Utrum ad conseruationem gratiæ ex parte hominis bona opera
necessaria sint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)



LIBER DECIMVS DE CONSERVATIO- NE GRATIÆ HABITVA- lis, ac perseverantiæ dono.

P R Æ L V D I V M.



Declarauimus in pro-
xime præcedentibus
quatuor libris natu-
ram, seu essentiam,
generationem, cau-
sas, & augmentum,
seu perfectionem
gratiæ habitualis;
solum nobis super-
est, vt de conserva-
tione illius, vel diu-
turna, vel vsque ad

ro non habet homo in gratiam suam physicum ali-
quem, seu per se influxum effectuum ad illius con-
seruationem necessarium, vt per se notum est. Solum
ergo potest intelligi aliqua dependentia moralis gra-
tiæ à bonis operibus hominis iustificati per illam,
hæc ergo est in hoc libro præcipue explicanda, & con-
sequenter dicendum erit de his, quæ ex parte Dei ad
eamdem opera, & consequenter ad gratiæ conserva-
tionem necessaria sunt.

*Materia hu-
ius libri.*

C A P V T I.

*Utrum ad conseruationem gratiæ ex parte hominis
bona opera necessaria sint?*

QUamuis in superioribus dictum sit de necessita-
te operum ad iustificationem præter fidem: ni-
hilominus præsens quæstio in rigore ab illa diuersa
est, Nam perseverantia in gratia, eiusque conserva-
tio aliquid est ab eius infusione, vel remissione pec-
catorum distinctum; possetque intelligi, opera esse
ad conseruationem gratiæ necessaria, etiam absque
illis sola Dei gratuita voluntate infunderetur. Et id-
eo præter superius dicta de necessitate operum ad
primam iustificationem, aliquid in præsentia de ope-
rum necessitate ad gratiæ conseruationem adden-
dum est. Vnde sicut prior quæstio de prima iusti-
ficatione non habet locum in paruulis, sed tantum in
adultis, ita neque præsens, quia sicut paruuli non in-
digeant proprio actu, vt iustificentur, ita postquam
per sacramentum iustificati sunt, sine bonis operibus
vsque ad adultam ætatem, in qua ratione vt valeant,
illam conseruant, imo illam amittere non possunt,
quia acque peccare valent, & gratia sine peccato non
amittitur, vt videbimus.

*Quæstio
de paruulis
non proce-
dit.*

In hæc ergo quæstione antiqua hæresis fuit non es-
se necessaria opera ad perseverandum in iustitia, sed
perseuerantiam in fide satis esse. Quam hæresim iam
impugnatam à Patribus, & antiquatam, & explo-
sam ab Ecclesia Nouatores excitarunt. Lutherus lib.
de Libert. Christian. Caluinus lib. 3. Institutio. capite
vndecimo, Melanct. in locis de Lege, & Euang. & Mem-
nia. in exam. Concilij Tridentini circa caput vndeci-
mum, sessionis sextæ, quæstione prima de bonis ope-
ribus. Fundantur primo in alio errore supra tracta-
to, quod ad primam iustificationem adultorum non
requiruntur alij actus, vel opera præter fidem: nam
eadem est ratio de prima iustificatione, quæ de perse-
uerantia in illa. Quod suaderi potest tum ex Philoso-
phico principio, quia dispositio, quæ sufficit ad intro-
ductionem formæ, sufficit etiam ad conseruationem
eius, si eadem dispositio perseveret. Imo maior dis-
positio solet requiri ad introductionem formæ, quam
vt semel introducta in materiam, in ea perseveret.

*Hæresis à
Nouatori-
bus exci-
tata.*

*Funda-
mentum.*

ff 2

Non

*Gratia ha-
bitualis con-
seruari po-
test.*

*Gratia con-
seruatio à
Deo pendet,
& ab homi-
ne iusto.*

*Gratia phy-
sicæ con-
seruari ab
homine non
dependet.*

Pars 3.

Non enim statim, ac vltima dispositio, quæ fuit ad generationem necessaria, incipit remitti, forma expellitur: ergo si per solam fidem sine operibus apprehenditur iustitia, per eandem fidem retinebitur, licet opera non adiungantur: tum etiam ratione Theologica, quia si ad primam iustificationem non sunt necessaria opera, ideo est, quia remissio peccatorum prætorum non fit, nisi per nouum, utationem ratione fidei, nec iustitia conferitur, quia infundatur, sed quia imputatur, sed æque efficacis est fides, ut peccatum præfens non imputetur, neque impediatur quominus Christi iustitia potius imputetur: ergo æque sufficit fides ad conseruationem iustitiæ sine operibus.

3. Fundamentum. Fundantur secundo in alio principio erroneo, quod iusto non est lex positæ, id est, (vt ipsi interpretantur) quod homo semel iustificatus per fidem non obligatur legibus, seu præceptis. Ex quo principio euidentis argumentum hinc: nam si opera sunt necessaria ad conseruandam gratiam, maxime illa, quæ sunt sub præcepto, nimirum, vt per illa euitetur præcepti transgressio, quæ possit esse peccatum gratiæ contrarium, & illam expellens; ac nulla talia opera sunt in iustis, supposito illo principio, quod non obligantur præceptis; vtique præceptum fidei, quia si præcepta illos non obligant, nulla opera sunt illis præcepta: ergo nulla erunt illis ad conseruandam gratiam necessaria.

4. Fundamentum. Tertiò addunt aliud principium erroneum, quod homini lapsus quantumuis iustificatus, & gratia adiuto impossibile est in hac vita seruare præcepta, vt aliis locis consequenter contendunt ex illo fundamento, quod homo lapsus ratione fomitis, & corruptionis, semper, ac necessario deficit ab eo, quod præceptum est. Ex quo etiam inferunt iustum in omnibus suis operibus peccare. Vnde tandem recte inferunt, obseruationem præceptorum non esse necessariam ad iustitiam conseruandam, quia alias impossibilis esset perseuerantia in iustitia, sicut impossibilis est præceptorum obseruatio: ergo è contrario vt sit possibilis perseuerantia, oportet vt obseruatio præceptorum non sit necessaria. At si obseruatio præceptorum necessaria non est, opera non præcepta, non sunt simpliciter necessaria, vt nos etiam fatebimur; ergo absolute, & simpliciter non sunt opera necessaria ad iustitiam conseruandam.

5. Vltimum fundamentum. Vltimo argumentantur, quia hoc tempore legis gratiæ opera non sunt necessaria ad vitam æternam consequendam; ergo neque ad perseuerandum in gratia, & iustitia. Consequentia euidentis est, quia nemo vitam æternam consequitur, nisi qui perseuerauerit vsque in finem, vtique in iustitia. Antecedens autem probatur ex illo Matth. ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et ex illo Ioan. 3. Vt omnis, qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ex quibus, & similibus testimonijs colligunt discrimen inter veterem, & nouam legem, seu Euangelij, quod ante Christi aduentum erant necessaria opera legis, quia tunc non promittebatur salus, aut vita sine conditione operum iuxta illud ad Rom. 10. Qui fecerit ea, viuet ex illis, ex c. 18. Exodi, & ideo Deuter. 27. Maledictus dicitur omnis, qui non permanferit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. At vero post Christi aduentum promissio vitæ æternæ est omnino absoluta respectu credentium, & ideo non sunt necessaria opera, sed tantum fides, qua Christi opera vt nostra apprehendamus. Sic intelligentes illud ad Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.

6. Iustus duo sunt necessaria vt in gratia perseuerent. Doctrina vero fidei Catholica est, hominibus iustificatis duo esse necessaria ad perseuerandum in gratia, seu iustitia. Vnum est cauere mala opera, aliud est facere bona opera. Vtrumque probabimus breuiter. 1. Probatur primo recte, ac per se, secundo destruendo hereticorum falsa dogmata, & ex principijs contrarijs veram doctrinam inferendo. Prior ergo pars de malis operibus

bus cauendis expresse traditur à Paulo ad Galat. 7. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitie, contentiones, emulationes, iræ, ira, secte, inuidia, homicidia, ebrietates, comestiones, & similia; quæ prædicuntur, sicut prædixi. Et concludit. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Ergo ex sententia Pauli ad consequendum regnum coelorum necessarium est mala vitare: ergo idem est necessarium ad gratiam conseruandam, quia sine gratia, & iustitia regnum Dei non obtinetur. Simile testimonium Pauli est, Corinthior. 6. Nolite errare, neque fornicari, neque idola seruientes, neque adulteri, &c. Regnum Dei possidebunt; ergo necessarium est fidelibus hæc vitia cauere, vt regnum Dei, ac subinde gratiam possideant. Dicunt fortasse heretici, Paulum loqui de his, qui non solum hæc peccata faciunt, sed ita faciunt, vt eis imputetur, i. sine fide, & propter Christum non imputantur. Sed hoc vanum subterfugij euidenter refellit Paulus ad E. hesios, dicens: Fornicatio, aut omnis immunditia nec nominetur in vobis. Et infra: Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei. Et adiungit quasi præuidens dictas hereticorum fabulas: Nemo vos seducat inanis verbis. Et cetera, quæ tam euidentia sunt, vt nullam possint calumniam pati.

Estque maxime in his locis considerandum, Paulum ad homines fideles loqui. Ad eos enim dicit: Eratis aliquando tenebre, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate, fructus enim lucis est in bonitate, &c. Et in alio loco eos reprehendens ait: Vos inuicem, & fraudatis, & hoc fratribus. Loquitur ergo ad fideles: & adiungit. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt. At vero si hæc propter fidem non imputarentur, potius dicere debuisset Paulus fornicarios, adulteros, & similes iniquos recte credentes, regnum Dei esse consequuturos, quia licet illa peccata non imputarentur, nihil minus illa facientes vere essent iniqui, fornicarii, raptores, &c. Vnde cum Paulus absolute doceat etiam credentes expelli à regno propter hæc vitia, potius docet talia peccata in eis imputari, & impedimento eis esse, ne cum eis saluentur. Et ideo in altero loco ad Gal. 5. ait: Vos in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem dei carnis. Nulla tamen perniciosior occasio abutendi gratia, & fide Christi ad multiplicanda vitia carnis, dari fidelibus potest, quam si cogitare, aut credere cum aliquo fundamento possent, talia vitia propter solam fidem eis non imputari. Et ideo in ca. 6. iterum dicit: Nolite errare, Deus non irridetur, quæ enim seminauerit homo, hæc & metet, quoniam quis seminat in carne sua, de carne metet corruptionem. Similia sunt verba. 1. Ioannis 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Et infra. Qui non diligit, manet in morte. Omnis, qui odit fratrem suum homicida est, & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. Et similia testimonia passim in Scriptura occurrunt, hæc tñ sufficiunt, cum expressissima sint. Et ideo etiam Patres omittit, videri tamen potest Chrysostomus optimè loquens hom. 6. in 2. ad Timotheum in fine literæ.

Alterā item pars de necessitate faciendi bonum, non minus euidentis est in Scripturis, sufficereque possit forma vniuersalis iudicij Matt. 25. in quo damnantur reprobi, non tantum propter mala opera, sed etiam propter omissiones bonorum operum. Et in ultimo non dedisti mihi manducare, &c. Ergo supponuntur contraria opera esse ad salutem necessaria. Vnde etiam prima Ioannis tertio. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei amet in eo? Tercia Matthæi 19. Interroganti, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Respondit Dominus, Si uis ad vitam ingredi serua mandata, ubi profecto interrogans supponebat, necessarium esse ad salutem aliquod boni facere, imò erogabat autem quodnam illud

esset, Christus sua responsione, & approbavit priorem existimationem, & bonum illud ostendit, absoluteque obseruationem mandatorum necessariam docuit, sub quibus non minus affirmatiua, quam negatiua præcepta complectitur. Quorum obseruationem necessariam esse docuit Paulus ad Galat. 6. dicens: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, legem huius charitatis à Christo specialiter latam, & innouatam, dum Ioann. 14. dixit. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. huius mandatorum Dei, de qua dicit Paulus. 1. Corinth. 7. Circumciso nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.* Cum ergo mandata sint de bonis operibus, saltem illa sunt ad conseruationem gratiæ necessaria, quæ præcepta sunt. Et plura similia Scripturarum testimonia ad hanc partem confirmandam congerit Augustinus libro de Fide, & operibus per totum, præsertim cap. 13. 14. & sequentibus, & lib. Questionum ad Dulcit. questione 1. ubi maxime vrget necessitatem charitatis ex 1. Corinth. 13. & necessitate operum ex tota Epistola Iacobi. Idem in lib. 83. Questionum, q. 76. & breuius lib. de Gratia, & liber. arbit. ca. 7. in fine. Et optime ad idem expendit verba Ioannis primo. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Chrysostom. ibi hom. 9.

9. Denique vtramque partem egregie confirmat David Psal. 14. ubi interrogat: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Et respondet: *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Et concludit: *Qui facit hæc, non mouebitur in æternum, nimirum à diuina gratia, & iustitia, sed in ea perseuerabit.* Quæ quidem non tantum de hominibus, qui in veteri tabernaculo Deum colebant, sed etiam de nobis, qui corpore, & sanguine Christi pacemur, scripta sunt, vt notauit Ambros. lib. de 42. Mansion. in decima: Similis sententia est in Psal. 56. *Declina à malo, & fac bonum, & inhabitabis in seculum seculi.* Hic enim fructus ex illis duobus partibus iustitiæ sequitur, & vtriusque obseruatio ad gratiam conseruandam necessaria est. Vnde addit ibi Ambrosius. *Ne bona, maleque confundas, prius est, vt crimine careas, postea vt innocentie fructum deperas, quo possis esse perpetuus.* Redditque Psalmista optimam rationem, huius veritatem demonstrans, *Quia Dominus amat iudicium, utique in seruanda æquitate, & iustitia prouidentie sue, & quia nihil sine iudicio agit, inquit Ambrosius, ideo malos, & boni actus iudicio discernit: nihil enim magis contra iudicium, & prudentiam esse posset, quam æque malos, & bonos contra iustitiam saluare.* Vnde subiungit David: *Quia Dominus amat iudicium, non derelinquit sanctos suos, & in æternum conseruabuntur, vtrique ipsi in declinando à malo, & faciendo bonum perseuerauerint.*

10. Secundo principaliter probatur catholica veritas, destruendo errores hereticorum, & ex contrariis principiis eandem veritatem demonstrando. Primo quidem, quia ad obtinendam iustitiam, seu gratiam & remissionem peccatorum, non sufficit sola fides sine aliis actibus. Vnde ex contrario bona opera erunt ad conseruandam iustitiam necessaria. Antecedens in libr. 8. late contra eosdem hæreticos probatum est, ubi etiam eorum argumentis est satisfactum. Consequentia vero etiam ab eisdem hæreticis non negatur, quia, & diuina Scriptura eodem modo de vtraque re loquitur, & ratio eadem est. Solum potest obici illa Philosophica coniectura, quia minus solet requiri ad conseruationem, quam ad productionem, & ita licet aliqua opera ex gratia facta, sint necessaria ad infusionem gratiæ, non sequitur esse necessaria ad conseruationem. Sed respondemus etiam in presenti esse aliquo modo verum opéra, seu positiuos actus gratiæ magis necessarios esse ad infusionem gratiæ, quam ad conseruationem, & nihilominus simpliciter, & absolute verum esse, etiam ad conseruationem requiri. Declaratur vtrumque, nam vt homo ad cultus iustificetur à peccato, necesse est, vt in Deum per proprios actus conuertatur, vt supra ostensum est; id autem non est simpliciter necessarium, vt gratia semel infusa conseruetur, nam transactis actibus penitentiæ, seu conuersionis, gratia in homine dormiente, vel nihil operante conseruatur. Itaque in adulto ad infusionem gratiæ per se necessarius est positiuus concursus hominis actualiter operantis, ad conseruationem autem gratiæ non est necessarius actualis influxus ex parte hominis, sed satis est, vt à contrario, id est, à peccato mortali absteineat. Quia vero ad abstinentiam à peccato mortali necessarium est interdum bene operari, ideo bona opera debitis temporibus facta ad gratiam conseruandam necessaria sunt.

Ergo obiter colligitur primo, quod licet ad vtrumque, scilicet infusionem gratiæ, & conseruationem sint necessaria opera, non tamen eadem, sed ea, quæ vnicuique proportionata sunt. Nam ad iustificationem ordinarie necessaria est penitentiæ operatio, quæ tamen post remissum peccatum non est iam simpliciter necessaria. Item ad primam gratiæ infusionem est necessarius actus charitatis Dei per se loquendo, & extra sacramentum, fieri autem potest, gratiam in vt ad conseruationem, etiam per totam vitam, non fundendam sit amplius necessaria. E contrario vero multa opera præceptorum post iustificationem obligantium erunt necessaria ad conseruationem gratiæ, quæ ad Deum per se loquendo, primam iustificationem necessaria non fuerunt, nisi quando fortasse in generali proposito. Secundo colligitur, quod licet ad infusionem, & conseruationem gratiæ sint necessaria opera, non tamen eodem modo: nam ad infusionem requiruntur vt causa per se in suo genere, scilicet, dispositionis vltimæ, ad conseruationem autem tantum sunt necessaria quasi per accidens ad remouendum peccatum, saltem omissionis, quod intercederet, si tale opus non fieret, & ad destruendam gratiam sufficeret. Loquor autem præcise de conseruatione gratiæ, quia in illam nullum alium influxum habere possunt bona opera, secus vero est, si conseruationi addatur augmentum, nam in illud habent opera influxum per se, vel meritorie causæ, vel etiam dispositiuæ, vt in libro duodecimo videbimus.

Tertio sequitur, sola opera præcepta esse simpliciter necessaria ad gratiæ conseruationem: quia sola illa sunt necessaria ad vitanda omnia peccata omissionis, peccata autem commissionis sine operibus bonis vitari possunt per solam carentiam malorum operum, quæ esse potest, vel sine positiuis actibus, non cogitando de tali materia, sed ad res alias mentem diuertendo, vel saltem sine actibus simpliciter bonis, vel per actus consentaneos naturæ, & indifferentes, si dari possunt, vel per actus habentes leuem defectum ex aliqua circumstantia leui, quæ ad mortale peccatum non sufficiat. Dices: etiam possunt præcepta affirmatiua obseruari per actus non vndeque bonos, sed ex aliqua circumstantia defectuosos leuiter, ergo hac ratione non erunt bona opera ad conseruandam gratiam necessaria. Respondeo in primis nobis satis esse, quod ad perseuerandum, in gratia sint necessaria opera ex genere suo bona, qualia sunt, quæ diuinis, & naturalibus legibus præcipiuntur. Deinde dicimus, quod licet ad seruandum hoc, vel illud præceptum, non semper sit necessarium opus vndique bonum, nihilominus ad seruandam totam præceptorum collectionem necessarium est opus aliquod simpliciter bonum, quia necessarius est actus charitatis, qui male fieri non potest. Dixi autem sola opera præcepti esse simpliciter necessaria ad gratiæ conseruationem, quia si loquamur de necessitate morali & ad melius esse, etiam opera non præcepta, vel supererogationis dici possunt simpliciter necessaria, tum quia moraliter loquendo, nullus ob-

11. *Tria corollaria.*
Primum.

Ad primam loquendo, & extra sacramentum, fieri autem potest, gratiam in vt ad conseruationem, etiam per totam vitam, non fundendam sit amplius necessaria. E contrario vero multa opera præceptorum post iustificationem obligantium erunt necessaria ad conseruationem gratiæ, quæ ad Deum per se loquendo, primam iustificationem necessaria non fuerunt, nisi quando fortasse in generali proposito. Secundo colligitur, quod licet ad infusionem, & conseruationem gratiæ sint necessaria opera, non tamen eodem modo: nam ad infusionem requiruntur vt causa per se in suo genere, scilicet, dispositionis vltimæ, ad conseruationem autem tantum sunt necessaria quasi per accidens ad remouendum peccatum, saltem omissionis, quod intercederet, si tale opus non fieret, & ad destruendam gratiam sufficeret. Loquor autem præcise de conseruatione gratiæ, quia in illam nullum alium influxum habere possunt bona opera, secus vero est, si conseruationi addatur augmentum, nam in illud habent opera influxum per se, vel meritorie causæ, vel etiam dispositiuæ, vt in libro duodecimo videbimus.

12. *Tertium.*

12. *Instantia.*

1. *Eius solutio.*

Secunda.

Explicatur solutio.

seruabit diu omnia præcepta affirmatiua, quia non habuerit consuetudinem aliquam bene operandi sine obligatione præcepti: tum etiam quia ad vitandos omnes prauos actus præceptis negatiuis contrarios, necessarium moraliter est iuari bonis actibus etiam non præceptis, vt oratione, actibus patientiæ, pœnitentiæ, charitatis proximi, & similibus.

Vnde formari etiam potest altera ratio ex duobus aliis principiis contrariis secundo, & tertio hereticorum principio. Quia homo iustificatus obligatur præceptis tam diuinis, quam humanis etiam grauius, quæ sub mortali obligant, ergo potest illa imitari etiam à plene, ergo illa saltem opera quibus implenda sunt, iusta, & necessaria sunt ad gratiam conseruandam. Secunda consequentia certissima est, quia obligatus talibus præceptis, si vel vnum non impleat, peccat mortaliter, & consequenter gratiam amittit iuxta illud: *Qui in vno offendit factus est omnium reus.* Iacob. 2. & illud. 1. Ioann. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen eius in eo manet. & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* vtiq; vnum cum alio componendo, quia non potest peccare, & semen diuinum, quod est gratia, retinere, & communis est expositio Augustini, & ceterorum. Prima vero consequentia euidens etiam est, & consequens in ea illarum tertium erroneum fundamentum, quod præceptorum obseruatio iustis impossibilis sit, destruit. Sicut etiam illud damnauit Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. & can. 6. 22. & 15. anathematizando eos, qui Deum impossibilia præcipere, vel quod proinde est, iustis impossibilem esse obseruationem mandatorum affirmant.

Nam in primis contraria veritas expresse traditur in Scriptura, vt idem Concilium ostendit ex verbis Christi Matth. 11. *iugum meum suauis est, & onus meum leue*, vtiq; ratione dilectionis, vt ait Gregor. lib. 5. in 1. Reg. capit. 2. Estque consonum aliis Christi verbis Ioan. 14. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.* Quibus consentanea sunt verba David Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Item ex verbis. 1. Ioan. 5. *Mandata eius gratia non sunt, quod multo minus est quam impossibile, nam præcepta impossibilia potius importabilia, quam gratia dicenda essent.* Non sunt autem grauius, quia charitas illa facit suauia, vt dixit Aug. de Natur. & grat. c. 69. Quod insinuauit idem Ioan. ibid. dicens. *Hec est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* Secundo Patres sæpe docent, impium esse cogitare, Deum impossibilia præcipere, Basil. homil. 3. in illud: *Attende tibi, non longe à principio,* Cyrill. 3. contr. Iulian. ante medium, loquens in speciali de præcepto à Christo renouato: *Non concupisces.* Matt. 5. & inducens optime illud Pauli ad Rom. 8. *Quod impossibile erat lege, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleatur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Et ideo cum in fine capit. septimi dixisset, *Mente seruo legi Dei, carne autem legi peccati,* insert in initio capituli octau. *Nihil ergo damnationis nunc est in his qui sunt in Christo IESU, qui non secundum carnem ambulant.* Quibus verbis euidenter constat, fomicis concupiscentiam non impedire, quominus iusti legem Dei sine vilo peccato, præsertim damnabili, impleant. Eandem doctrinam optime profequitur Chrysostom. homilia 8. de Pœnit. à medio, & Hieronym. Dialog. 3. contra Pelag. & in cap. 5. Matth. & nomine eius in tomo 9. Epistol. 17. ad Damasc. de expositione symboli dicitur, tam eos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatū vitare non posse, quam illos, qui cum Ioviniano hominem non posse peccare asserunt. Item August. lib. de Natur. & grat. ca. 43. & 69. & de Grat. & lib. arbit. cap. 16. & lib. 3. contr. duas epistol. Pelag. capit. 5. vbi respondendo Pelagianis Lutheranorum calumnias ostendit, acuerit, & libro. 2. de Peccator. merit. & remiss. c. 3. & 6. & serm. 61. & 191. de Tempore. Solent

autem heretici contra hæc testimonia Augustini alia prætextant eiusdem obicere, in quibus negat posse hominem in hac vita sine peccato viuere, vt li. 1. contr. duas epistol. Pelag. c. 14. & lib. de Perfect. iustit. & sæpe alias, vt vidimus in lib. 8. Sed hæc alia quæstio longe diuersa est. Nam aliud est loqui de singulis actibus, aliud de toto vitæ discursu. Dari enim potest gratia, & facultas ad seruanda præcepta, per quam non euitentur cum effectu peccata per totam vitam, licet in multis actibus caueantur, vt in lib. 1. late dictum est de peccatis mortalibus & de venialibus in lib. 8. & circa donum perseverantiæ in discursu huius libri amplius explicabitur.

Tertio est etiam hoc ratione euidens, primo quia de ratione legis est, vt sit de re possibili, quia quod impossibile est, non cadit sub libertatem, quod autem libertatem non cadit sub libertatem, nec sub legem cadere. Prima potest, vt ostendit lib. 1. de Legib. cap. 9. à. numer. 15. Secundo quicquid per legem Dei præcipitur, per gratiam Dei, quæ nemini denegatur, est possibile. Quod significauit Christus Marc. 9. *Omnia possibilia sunt credenti, &c.* Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Luc. 18. Vnde aiebat Paulus ad Philippens. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et supra libro secundo latissime ostensum est, per gratiam posse hominem seruare mandata, quæ non potest per se ipsum liberum arbitrium, & de præceptis supernaturalibus idem late ostensum est toto lib. 2. & in tribus sequentibus de Auxiliis. Tertia ratio sumi potest ex efficacia redemptionis Christi, mortuus enim est, vt iustificatio legis impleatur in nobis, vt ex ad Rom. 8. allegauimus, & vt dissoluat opera diaboli. 1. Ioann. 3. Ergo in virtute gratiæ, quam ex illo habemus, possumus implere legem, bene operando. Vnde Ezechiel. 36. promittit Deus per Christum: *Faciā, vt in præceptis meis ambuletis.*

Quarto potest idem probari ex efficacia orationis, quæ semper esse debet de re possibili, docemur autem à Christo ipso Christo petere à Deo, vt eius voluntatem faciamus: *Fiat voluntas tua,* & Paulus orabat Deum pro infirmis Corinthiis, *ne quid malefacerent.* 2. Corinth. 13. & Da. ex orationis uia sæpe: *Inclina cor meum in testimonia tua, &c.* *Fiat cor efficacia meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar, & Gressus meos dirige, & non dominetur mei omnis iniustitia, & similia multa, quæ in dicto Psal. 118. repetuntur.* Quæ sæpe facta esse, & impleta ibidem sæpius affirmatur. Sicut in aliis Scripturæ locis de multis dicitur, toto corde Deum esse sequutos, & illius legem seruasse sine querela, vel sine crimine. Tandem frustra lingunt heretici impossibilitatem in præcepto, quia vel præceptum hanc impossibilitatem faciunt, vel supponit, neutrum dicit potest. Non quidem hoc posterius, quia voluntas est libera, & si quid habet difficultatis, vel impossibilitatis, iuuatur gratia, & totum hoc supponitur ad præceptum. Neque etiam prius, quia præceptum non immutat naturam actus præcepti, nec addit illi difficultatem, ne dum impossibilitatem, sed tantum obligationem. Et quod de fomite dicitur, friuolum est, quia fomes non impedit dilectionem Dei super omnia ex gratia Dei, ita vt cor non sit diuisum, sed solum Deum pro fine vltimo habeat, quem ita rebus aliis præferat, vt paratum sit propter nullam rem creatam ab illo auerti. Amare autem integra iustitia, aut habere illam, neque nunc præcipitur, neque fuit vnquam præceptum nisi quatenus in statu iustitiæ originalis positum est præceptum cum comminatione amittendi illam, si homo illud transgrediretur. Et simili modo nunc non est datum præceptum carenti motibus naturalibus concupiscentiæ, quia neque illi inuoluntari peccata sunt, neque præceptum non concupiscenti illud habet sensum, vt nec motus primi concupiscentiæ, vt patiamur, sed illum: *Post concupiscentias tuas necas,* vt Augustinus sæpe exponit, & in aliis locis tractatur.

Ex his ergo concluditur primum antecedens in hoc

2. Hæretico hoc discursu assumptum, per quod secundum erro-
rum funda-
mentum re-
iicitur.
Impiū No-
uatorum do-
gma.

Refutatio.
hæreticorum satisfeci, hoc loco repetendum non
censui. Solum superest aduertendum, eosdem hære-
ticos Nouatores fortasse, vel ipso naturæ lumine,
vel allegatis Scripturæ testimoniis conuictos, vel
certè quod eos puderet tam impiū dogma Deo
tribuere, quod miseret Christum, vt peccandi licen-
tiam hominibus tribueret, resipuisse aliquo modo,
& tandem falsos esse opera, & obseruationem man-
datorum esse necessaria ad salutem, non tamen pro-
pter gratiam, vel gloriam obtinendam, sed vt fructus
fidei, quibus gratos se ostendant. Ita referunt Staple-
ton. lib. 3. de Iustificat. cap. 2. & Valent. tom. 2. disp. 7.
q. 6. punct. 4. & latè impugnant, quia nec consequen-
ter loqui possunt, nec verè. Primum facillè patet, quia
si opera necessaria sunt, quocunq; tandem titulo ne-
cessaria sint, debet in illo titulo interuenire obligatio
præcepti: quia sine illo non potest intelligi necessitas
illa, quæ moralis est; at obseruatio præceptorum ne-
cessaria est ad salutem, vt euidenter probant testimo-
nia adducta, & illud. 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, &
in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse re-
probus efficiar. Et illud Mat. 7. Non omnis, qui dicit mihi,
Domine, Domine, intrabit in regnum celorum, sed qui facit
voluntatem Patris mei, cum similibus. Deniq; quacunq;
ratione opera sunt necessaria ad gratiam, vel gloriam
verissimè dicitur, quod si non hant, nec gratia, nec
gloria obtinebitur; ergo non possunt non esse neces-
saria, vt conducentia aliquo modo ad gratiam con-
seruandam, saltem vt conditio, sine qua non. Vnde
facillè ostenditur altera pars, scilicet, falsum esse, ope-
ra non esse necessaria vt conducentia ad gratiam, &
gloriam, nam de prima gratia iam ostensum est in l. 3.
esse ad illam necessaria opera vt causæ, & dispositio-
nes illius, & de secunda gratia, & gloria infra osten-
demus esse necessaria per modum meriti, atq; ita di-
ci possunt necessaria, vt dispositiones sine quibus a-
liquando non conseruabitur gratia. Vnde est illud. 2.
Petri. 1. Satagite, vt per bona opera certam vestram vocatio-
nem, & electionem faciatis.

18. Vltimū argumentari possumus ex destructione
vltimi fundamenti: nam differentia illa inter no-
uum, & vetus testamentum falsissima est. Nam sicut
in veteri testamento promissiones fiebant sub condi-
tione operum, ita & in nouo. Imò si promissiones ve-
teris testamenti considerentur, vt erant de bonis
temporalibus, ac caducis sub conditione obseruandi
carnalem legem: illæ erant figuræ promissionum spi-
ritualium bonorum, quæ in lege gratiæ fiunt sub
conditione seruandi spirituales legem; imò etiam
in ipsa lege veteri sub illius litera continebant eas-
dem æternas promissiones sub conditione spiritua-
liter, & per fidem, ac gratiam eandem veterem legem
obseruandi, vt latè declarauit lib. 9. de Legib. cap. 6. a.
n. 17. & in lib. 10. cap. 5. Ostendi, in lege noua multa
bona spiritualia sub conditione operum promitti.
Specialiter verò de statu, seu conseruatione gratiæ,
& charitatis id ostenditur manifestè ex verbis Chri-
sti Ioan. 14. Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, &
Pater meus diligit eum, &c. Et cap. 15. Si præcepta mea ser-
uaueritis, manebitis in dilectione mea. Et Luc. 13. Si peni-
tentiam non egeritis, peribitis. Et Pauli Roman. 8. Sit a-
men compatimur, vt & conglorificemur. Imò ad Hebr. 6.
idem Paulus exemplo præcedentium iustorum fideles
ad obseruationem mandatorum excitat: Vt non
seges efficiamini (inquit) verum imitatores eorum, qui fi-
de, & patientia hereditabunt promissiones. Quod autem
præcipue de spirituali promissione loquatur, patet

ex cap. 10. vbi ait: Patientia vobis necessaria est, vt volun-
tatem Dei facientes reportetis promissiones. quod toto cap.
11. prolequitur. Denique omnes promissiones glo-
riæ, quæ in nouo testamento non fidei, sed operibus
fiunt, illam conditionem virtualiter includunt vt
Math. 5. Beati, qui esuriunt iustitiam, &c. Beati mundo
corde quoniam ipsi Deum videbunt. Est ergo manifestum,
etiam in lege noua promissiones gloriæ, & conse-
quenter gratiæ, seu conseruationis eius fieri sub con-
ditione implendi voluntatem Dei, quæ per bona o-
pera impletur, ac subinde ad gratiæ conseruationem
bona opera esse necessaria.

CAPVT II.

Quid sit ad gratiæ conseruationem ex parte Dei necessarium?

SUPPOSITA distinctione supra data de du-
plici dependentia physica, & morali. De priori
certum in primis est, gratiam habituales pendere
in conseruari physice à Deo, & ab actuali influxu ei-
us. Hanc enim dependentiam habet eo ipso, quod
forma creata est, vt ex generali doctrina 1. partis, ac
Metaphysicæ, & ex dictis supra de auxiliis manife-
stum est. Deinde est certum, gratiam habituales à
solo Deo huiusmodi dependentiam habere, quia si-
cut solus ipse illam infundit, seu producit, ita etiam
solus illam conseruat, vt ex dictis in lib. 8. planum est.
Et ex principiis Metaphysicæ sequitur consequenter,
quia effectus pendens in fieri à sola excellentiori cau-
sa, non potest ab inferioribus in esse, seu conseruari,
per se pendere. Denique supponimus, Deum ex par-
te sua nemini habenti gratiam habituales, eius phy-
sicam conseruationem denegare, si ipsemet illam à se
non abiciat: tum quia etiam generaliter Deus ex
parte sua, quod semel fecit, semper conseruat, nisi al-
iæ causæ corruptionis intercedant; tum etiam quia
specialiter dona Dei, præsertim gratiæ sunt sine peni-
tentia. Vnde etiam in hoc verum est, quod Deus
neminem deserit, nisi prius ab ipso deferatur.

His ergo positis, quoad physicam dependentiam,
certum est, nullo influxu physico, ac per se attingen-
te gratiam ipsam vt Deum ad eiusdem gratiæ con-
seruationem, quia nec necessarius est, nec villa pro-
babilis causâ, vel ratio illius cogitari potest, ac proin-
dè non habere gratiam aliam physicam, & per se de-
pendentiam in suo esse: superest verò inquirendum
de morali. Nam quia gratia in sua conseruatione
moraliter pendet à bonis operibus hominis iusti, &
hæc ipsa opera à Dei influxu pendunt, idè ratione
talium operum dici etiam potest gratia pendere à
Deo moraliter in suo esse, seu conseruari. Sed in hoc
etiam aduertendum est, opera ipsa bona, sine qui-
bus gratia non conseruatur, & physice, & moraliter
pendere à Deo, vt in lib. 3. tractando de auxiliis decla-
ratum est. Nam in primis talia opera pendunt à Deo
& per se, & physice, & immediate tanquam à prima
causa concurrente cum secunda ad omnem eius o-
perationem, & per accidens, ac mediate, quatenus
dat, & conseruat virtutem physice efficientem, seu o-
perantem tales actiones. Nam illa efficientia Dei sit
per se, & immediate respectu facultatis, quam præ-
bet, seu habitus, quem infundit, respectu operis est
mediata, & suo modo per accidens, multoq; magis
remota est, respectu conseruationis, & idè respectu
illius dici potest moralis, nam illa causâ, quæ physice
est per accidens, moraliter est per se, præsertim quan-
do id, quod immediate producit, solū moraliter cō-
currit ad remotum effectum, vt ad gratiæ conseruadā
opera concurrunt, vt visum est. Neque de hoc modo
concurrendi Dei ad gratiæ conseruationem, siue
respectu

1. Gratia quæ
ad conserua-
tionem pendet
physice à so-
lo Deo.

2. In suo esse
nullam aliam
habet physi-
cam depen-
dentiam.

Non exclu-
dit tamen
dependentiam
moralē.